Et ne nos., sed Cantor incipiat Psalmum Lauda ánima., qui a Fratribus erectis dicatur legendo voce mediocri et per ℣. Réquiem terminetur.

Psalmus 145.

LAUDA ánima mea Dóminum, laudábo Dóminum in vita mea : * psallam Deo meo quámdiu fúero.

Nolíte confídere in princípibus : * in filiis hóminum, in quibus non est salus.

Exíbit spíritus ejus, et revertétur in terram suam : * in illa die períbunt omnes cogitatiónes eórum.

Beátus, cujus Deus Jacob adjútor ejus, spes ejus in Dómino Deo ipsíus : * qui fecit cælum et terram, mare, et ómnia, quæ in eis sunt.

Qui custódit veritátem in sæculum, facit judícium injúriam patiéntibus : * dat escam esuriéntibus.

Dóminus solvit compedítos : * Dóminus illúminat cæcos.

Dóminus érigit elísos, * Dóminus díligit justos.

Dóminus custódit ádvenas, pupíllum et víduam suscípiet : * et vias peccatórum dispérdet.

Regnábit Dóminus in sæcula Deus tuus Sion, * in generatiónem et generatiónem.

Réquiem ætérnam...

Deinde dicat Prior :



℣. A porta ínfe-ri. ℟. Eru-e Dómine ánimas e-órum.



Dóminus vobíscum. ℟. Et cum spí-ri-tu tu-o. Orémus.



FIDELI-UM De-us ómni-um Cónditor et Redémptor,